Szaniawski Constantinus Felicianus.
Episcopus Cracoviensis

Cracoviensis Coll. Scholar. Piar: Regia Majestatis geminae etc.

REGIA
Maiestatis Geminæ
Serenissimi in Transfiguratione sua
REGIS REGVM Immortalis
IESU CHRISTI
& AVGVSTISSIMÆ PRINCIPIS
MARIÆ
Antiquitus *Liberæ Gentis* clientelâ
Ac propriæ vocis Oraculo
ELECTÆ & CORONATÆ
REGINÆ POLONIARVM
In Vrbe Regni, Regum Inauguratrice *CRACOVIA*
COLLOCATA
PER CELSISSIMVM PRINCIPEM
Illustrissimum & Reverendissimum Dnum
D. CONSTANTINUM
FELICIANUM
In SZANIAWY
SZANIAWSKI
EPISCOPVM CRACOVIENSEM DVCEM SEVERIÆ
Sacratissimæ Májestatis Vtriusq; honori
Publicæ Statuum Regni Devotioni
CONSECRATA & ADAPERTA.
Perennem Pontificiæ Consecrationis Memoriam,
STYLO ÆTERNÆ GRATITVDINIS
In cordibus & pagina adnotante
Collegio Cracoviensi C. R. Scholarum Piarum
Anno, à quo venit in Templum Sanctum suum Dominator MDCCVIII.

CRACOVIÆ Typis Iacobi Matyaszkiewicz S. R. M. Typographi.

2

In Avitum AGNUM CELSISSIMI PRINCIPIS.



Victor ut indomitas ARIES sibi subdidit Vrbes,
Toto inter palmas orbe potitus ovat.
Iam nunc, dum sacram Pietatis movit in Arcem
Regia Victori se dedit ultrò *Deûm*
Inde triumphales in plausus creditur AGNO
Orbis, & attonitus contribuisse Polus.

CELSISSIME PRINCEPS
PRÆSUL
PROTECTOR MAXIME.

D*Abis eam etiam calamo indulgentiam intra hodiernæ solennitatis Encænia; ut veniam mereatur & gratiam. Veniam: si minùs congruè perindeq; non sine delicto, Tua in Superos celebrat merita; gratiam: ut deinceps justior sit, in exhibendis vicibus amplissimo Favori Tuo, ac de eodem intensiùs mereatur, Insignivit sacram hanc Ædem* Consecratrix Pietas *Tua, gemino titulo* REGIS nempe SÆCULORUM, & REGINÆ POLONIÆ; *addit tertium ex devotissima Nomini Tuo gratitudine, religiositas Nostra, id est Tui in Nos* Patrocinij

elogium. Polono Erythro, Principi SRZENIAVÆ *totam ſe debet hæc* Immortalium PRINCIPVM REGIA. *Vt enim intra* Vrbis Metropolitanæ *mænia proſtaret, ut vaſtatæ quondam per fatales flammas* Arcis Regiæ, *vel è diametro ſuppleret interitum, vel reſtitutionem provocaret; Purpurata Liberalitas per laudatiſſima, in opus, fortunæ diſpendia animoſè inſtitit: unde non deficientibus per ſæcula Avitæ Domûs religionis monumentis dignoſcitur & innovatur agnatus Generi, pro Numinis cultu, perpetim augendo, zelus. Sed latius ſuâ mole ex protenſâ liberalitate* Palatium *Regale, longè vaſtius reddit Pontificiæ* Conſecratio *dexteræ; quæ poſtquàm, maturandis mænijs, liberali ſubvenit gazâ, etiam de Cæleſtibus theſauris ubertim adjecit. Næ dignam* REGE REGVM & REGINA POLONIÆ Regiam! *in cujus ſtabilimentum Gemini Principes Senatûs Poloni, Cracovienſis Palatinatûs Prima Culmina, æmulâ contribuunt pietate. Sed illud animo vividiùs expendendum occurrit; quòd Tibi ſoli ſingularem felicitatis delectum repoſuêre Superi* CELSISSIME PRIN-

CEPS

CEPS. *Decima, aureo pacis torrente fluens ætas, vix ad periodicum appulit pū-ctum, cùm super* Clarum Montem Częstochoviensem, *illud eminentissimum Pietatis Polonæ Propugnaculum, tanquam super sui Arcem Imperij, à tot seculis expectato diademate circumdata est* REGINA POLONIÆ MARIA, *cui, ex voto Serenissimi Regnatoris* AVGVSTI Secundi, *Tu ipse* CELSISSIME PRINCEPS, *gemmam sidereoq; æmulam serto reddidisti* Coronam. *Et habuit præstantissimum Capitis decus ex Te,* Augustissima Porphyrogenita: *Vt autē sua Majestati tuendæ, non deesset Arx, ecce noviter instauratum, Honori* MAGNÆ PRINCIPIS *devoves Sanctuarium; nosq; Domûs Regalis minimos assignas Procuratores. Dabimus operam* PRINCEPS CELSISSIME, *ut sydereas Virtuti Tuæ inclinemus Arces, quæ meritissimo Capiti Tuo, pro Regum Maiestate assecuranda operoso, in Coronam perennitatis super Orbē, in beatitudinis adoream immortalem in Cælo volvantur & immineant. Sed jam prævenisse vota nostra videtur, inita cum terris æmulatione Cælum. Non enim casu puta-*

mus contigisse: *Te* CELSISSIME PRINCEPS Tribus Gentilitijs Præaugusti CAPITVLI Cracoviensis Coronis *redimitum Pōtificem, in primo sanctificati aditu Templi ab ipsa incidente* DIVINÆ TRINITATIS *Solennitate salutari. Vt enim, Cælo teste, multiplicis Coronæ meritissimum constaret verticem; congruebat, Trinum Vaveli Stephanoma, divinitus geminari. Submitte ergo Cælis; submitte, ferendo par Orbi Caput & non semel individuà Regni Poloni succollatione exercitum. Imò temporibus Tuis, toto Orbe, toto Cælo coronandis integrā deberi assentire æternitatem. Nobis vero illius gloriæ culmine potiri permitte, ut amplexu coronario Tuis insinuemur profundissimè vestigijs.*

Celsitudini Vestræ

PROTECTORI MAXIMO

Devinctissimum

Collegium Cracov: *Schol: Piar:*

PANEGYRICUS.

APpone jam supremam Manum destinatis in Residentialem Numini Regiam ædibus, & quas olim Pōtificali benedictione ab Angulari initiasti Lapide, easdem, in summo prouectionis suæ pinnaculo, mystica sanctificatione perfice, ac redde Cælo pares, Cælitibus dignas & habitabiles, *PRÆSVL & PRINCEPS CELSISSIME.* Certè novissima hæc religiosæ ædificationis Basilica, eam vel maximè in se admirabilem præferre videtur novitatem, quòd eidem Dexteræ Tuæ principium & consummationem debeat: eam verò felicitatis adeptionem semper desidera-

vit, at ſæpè ſibi defuiſſe conqueſta eſt Fundatrix Pietas. Plurium ea ſors eſt, ut fervida intentione conceptas Numini moles, lethale intercipiat frigus, & antequam conſummatis Aris votivas accendant ceras, conſumuntur & extingvuntur; ut deinde ſerò, nonniſi provectis ad faſtigium poſthuma adſtructione operibus, vel inter ſepulchrales cineres, æterno ſpectandæ conſummationis flammentur deſideriò. Arcana eſt, non fortuita quædam obſervatio, primos Sacrarum ſtructurarum Lapides altiùs tumulari, terrâ & ſaxis obrui, Solis ac hominum viſui eripi; tacita hæc & planè parentalis proluſio eſt, quâ infoſſus Lapis ſuis præſepelitur Conditoribus, ipſoq; ſui jactu, ſpem videndi in perfectione operis præcipitat, obruit, eripitq;. Nihil Tibi commune ad hanc prope communem omnibuſq; infeſtam ſortem *CELSISSIME PRINCEPS*, qui, cum ſis Oecumenica temporum noſtrorum Felicitas, ita admirandis operibus continuò divinitùs proſperaris, ac ſi Tibi uni contigiſſet eſſe felicem, ut facienda conſtanter intendas, fortiter inchoes, & ocyùs omnium expectatione perficias. Divinū quid-

dam

dam in Te veneramur, quasi Tibi Numen, aut magna pars Numinis in animam esset! Non Te in prodigiosis operibus moratur difficultas vel discrimen, non tempus coarctat: sæpiùs immensa exantlas intra tantillum spatium, quod alijs, ad primos etiam cogitationis impetus, breve admodum & nimis injuriosum videretur. Neq; hæc sunt, quæ dicimus blandientis ex consvetudine assentationis phãtasmata & impressiones styli, non tam Nos hæc loqui audimur, quám ipsa spectatissimorum operum Tuorum veritas, quæ famam excedit, & ipsi humanæ admirationi vim infert. Quodsi eorum, quæ ultra temporis capacitatẽ jam egisti, seriam assumpserimus considerationem; ipsimet quodammodo oculis nostris falli putabimur; nisi Te temporis prædominium habere, omnino & conformiter præsupponamus. Cujus enim hominum, & non potiùs Numinum ea est activitas, ita rebus singulis principium dare, ut antequam inchoari deprehendantur, iam in exitu, iam extra suas causas spectentur? Nihil proinde est *PRINCEPS CELSISSIME* quòd videaris inchoare, sed singula, ipsa Tibi instantanea con-

ſtare prefectione credimus, ipſumq; tempus ita tuis mancipari nutibus, ut quæ & quando velis conſummari in ſe patiatur: quaſi non tempus operum Tuorum, ſed ipſa opera Tua eſſent menſura & regula temporis. Te uno metimur, quantùm imbecillitas humana poſſit, ſi remota innatæ otioſitatis formidine, tantùm in laborando adniti audeat, quãtùm ſeſe intrepidâ prudenter voluntate reſolvit. Sed hæc eſt humanæ conditio mutabilitatis, ſive ex gravedine citò fatiſcentium virium, ſive ex permoleſta laboris acrimonia, ſive deniq; ex inſita animò in ſegnitiem propenſione, ut operis inchoati progreſſus ſubita præſcindat vel ſaltem protelet deſperatione, aut molem negotij monſtroſam verita, aut tẽporis non ſuffecturam parvitatem perperàm cauſata; cogaturq; infatuatis remiſſione manibus, ad contumeliam & convitia diuturnum ſuum videri & rideri Imperfectum.

Iam verò magnitudinis Tuæ *PRINCEPS* ea eſt ſingularis & prorſus nulli hominum communis proprietas, perindèq; nunquam ſatis admiranda, ut quidquid ſapientiſſimi conſilio animi ſuſcipis, admoto validius

bra-

chio, ad optatum, ſed vix tam citò ſperatum, promoves exitum, Ipſemet omnium, quorum ad Te pertinet origo, Author, Auſpex & Perfectiò. Nondum integritatem unius luſtri complevit inita annorum ſucceſſio, cùm Sacrum erigendo huic Sanctuario præjeciſti Saxum; & ecce palmarem undequaq; conſtat fuiſſe jactū, dum intra tanti compendium temporis, per ſubita incrementa Eccleſiaſtici ſurrexêre pari etes; non repere lento progreſſu, ſed volare compertæ ſunt Sacræ teſtudines, quibus aliàs major pars ſæculi deberi videbatur provehendis. Sed hæc eſt prodigioſa Manûs Tuæ Dexteritas, ut quidquid potenti delibaverit attactu, continuò augeat, ipſis rerum ſucceſſibus ad nutus Tuos certatim feſtinantibus, imò quaſi eoſdem properata exactitudine anticipantibus. Deinceps Orpheus, qui hactenus tenuem veritatis umbram à craſſioribus traxit commentis, è memoria & imaginatione, per quam diu humanæ illuſit opinioni, delebitur, ſuæq; ſe opprimet ſonitu lyræ, quo Thebas excitaſſe motis ad tripudia ſaxis ferebatur: Tu verò *CELSISSIME PRINCEPS* harmoniacum ſæculi noſtri adoraberis plenâ fide Pro-

 digi-

digium, cum Tibi tanta vel in uno temporis atq; manûs articulo vis, ut ſanctiores pro Thebis Solymas extemplò erigas.

Circumſpice Orbem profundo operum Tuorum altè ſuſpenſum intuitu. Quàm primùm enim Frontem Tuam ad Pontificiam exorari tandem indulſiſti Infulam, altas animo, Cæloq; dignas & pares, intra Caput admiſiſti cogitationes. Nulla Tibi ſit quæſita intra remotum mare ſuper ſacram Cydarim gemma, quæ dierum inſultet ſplendori, ſoles extinguat; illi ipſi, quos Paſtoralis eliquat ſolicitudo ſudores, luminoſiùs promicant; ita, ut noctes etiam, quas inſomni prævincis vigilantiâ, inexpertum ſibi ſentiant ex Te oriri meridiem. Ita Mens Tua in alto apricatur, ut ſolem etiam maturè præcurrat ad meridianum provectionis punctum. Sanè ſublimia, auguſtaq; meditationis tuæ molimina, illis ſacris metimur Pegmatis, quibus utriuſq; Poloniæ Diæceſes non pænitendo faſtigiaſti ſumptu; prægeſtiens etiam Cælis inferre Patriam & Eccleſiam, aut utriq; inclinatiſſimum ac intimum reddere Cælum. Inde eſt, quòd tam excelſo animi propoſito effeceris, ut plures

res

res in erectis Seminarijs lecti ex hominibus in sortem spiritualis vitæ, Angelicas repererint Colonias, ubi aut se natos esse homines obliviscantur, aut Angelis convicturos meminerint. Quot jam ejusmodi spirituum species, quibus creatrix munificentia Tua dedit principium, recensent *Cujaviensis ad Vladislaviam*, *Pomeraniæ ad Gedanum* Diæceses! ubi stabilita Seminaria, plantatæ scientiarum Palæstræ, in parabolam de Cælo, populariter abiêre. Vnum est duntaxat, unde humani quidpiam pati comperiuntur Vladislavienses Angeli, nempè ingens Tui desiderium, illudq; æternum. Sed parce Nutrix quondam & Alumna Regum Cujavia. Non unum suspirijs lassavit sæculum Gracovia, ut digno Regibus à se coronatis AGNI vellere antiquiùs potiretur; sed tota felicitatis fruitio intra spem stetit. *Stephanus Bathoreus* oblatum â Throno Hispaniæ, Majoribusq; suis adhibitum aureum Vellus, Regio pectore & animo non admisit: admiserat *Junoßam* Coronatoris sui *KARNKOVII Episcopi tunc Vladislaviensis*. Et hic, dum fortè vacanti ab obitu Pastoris sui Cathedræ Gracoviẽsi omnium votis destinare-

 tur,

tur, unus lapidem posuit in obicem *Stephanus*: *Malle se* (testatus) *videre brevi Karnkovium Primatem Regni*. Itaq; in *Karnkovio* nec *STANISLAVM secundum*, nec *Primum* de Stemmate *IVNOSZÆ* videre tunc potuit Cracovia Præsulem. In Te verò *CELSISSIME PRINCEPS* post exacta tot desideriorum sæcula lætatur jam se possedisse. Audemus proinde, etiam attento AGNI Tui Stemmate, Te *VIRVM DESIDERIORVM*, & *Desiderium sæculorum* nuncupare. Vtiq; conformi ad Danielem paralellâ Vandalicis Leonibus hiantia obturasti ora, ne Tecum Poloniam famelico rictu devorassent. Quid publicam memorem expectationem? sed desiderari debueras totâ æternitate, quò ad Tuæ mensuram Magnitudinis, nostræ præstolationis cresceret prolixitas. Cæterùm aliquot sæculis constans expectatio, propè abfuit, quin opinione contribulatæ per tædiä spei, superatura perennitatem videretur. Præcipitabant se longa muneris tanti à Cælo quæsiti dilatione desideria, ipsaq; exhibentium Numinum cunctatio, ingens erat opperientibus violentia. O! quoties,

ani-

animam propè agentibus votis, auditum eſt, gemitu perrumpente, concuti Cælum! promiſcuæ ad aures Divorum certatim allabi voces: *Emitte Domine Agnum!* Interim ſæcula inter lacrymas effluebant, & precibus apud ſuperos nullum in inſtanti momentum. Hinc eſt, quòd calamitoſæ admodùm conditioni ſuæ inſepultus *Vavelus*, nomen ſub titulo, aut potiùs tumulo, Caucaſi ſepeliverat, cui tot affixa, diſtentaq; cum Prometheo torquebantur, deſideria. Credebantur longè à ſuperûm benevolentia & favoribus publica diſtare vota, dum uno lápide *Vaveli* à Tui fruitione diſtarent. Itaq; pluſquàm mille periculis cōtēdentibus pro inæſtimabili pretio Argonautis, pluſquàm mille labentium in mare æternitatis ætatum naufragijs conſtitit *Velleris Szaniaviani* adeptio. Illius deſiderio extinctos non ambigimus, quotquot parentalibus Cracovienſis Sanctuarij umbris illatos recenſemus *Sereniſſimos*. Nimirum de Cælo duntaxat *Horoſcopus Cracoviæ* ſuum horizontem reſpiciebat *ARIES*; ut verò etiam intra mænia Vrbis, Araſq; ſplendoribus Præſularis gloriæ apricaretur, ſperare & ſuſpi-

D rare

rare debuimus, aſſequi hactenus non potuimus. Tantus autem erat ſingulorum per ſæcula ardor, ut Cælos propè abſorptura videretur aviditas: quaſi ille internecinus olim Cracoviæ Draco, hauſto inter fibrarum incendia Vandalo, ſitim ſuam natali reliquiſſet Cracoviæ; aut hanc ſalis vicinia acueret, ut fervidiùs Civilia in exoptatum ſolatium flammarentur præcordia. Primus Tu *CELSISSIME PRINCEPS* eam collidentium ſeſe votorum diſpunxiſti nubem, illato ſedibus Regio-Pontificijs Avito Decore. Primus poſt *STANISLAVM*, Aras Cracovienſes innocentiſſima in AGNO Tuo dedicaſti Victima. Non ſemel proinde Te *PRINCIPEM* recognoſcimus; utpote cui, præter *DVCALEM SEVERIÆ MITRAM*, & nulli ſecundum inter Poloniæ Antiſtites Majoratū, etiam Ordinis, in ſerie Epiſcoporum, proprius eſt Principatus. Regum Mater, Ducum Sponſa *Cracovienſis Cathedra* nonniſi Reges parit, Ducibus juncta paret. Pro Fundamentis habuit Celſitudinem, & per altiſſima ſeſe ætatibus promovet faſtigia. Majora dicam! Non ſimplici lapidum compage, ſed

gem-

gemmis, diadematibus, Sceptris, Mytrisvè laqueatam intuemur, quoties Regni Thesaurum, Serenissima expendimus Mausolea. Non tam ergo Cathedram, quam Regale Solium & Imperiũ à Te *CELSISSIME PRINCEPS* occupari existimamus, illam nempe Cathedram, quam innumeri Præsules digni Triregno, plurimi Principes etiam Serenissimi, Regibus aut nati, aut Eminentissimo titulo comparati, illustrârunt. Debuit hæc Pontificia sedes Principatum Vocationis Infulatæ *PROCHORO*, Sanctitatis Laureatæ *STANISLAO*, *Mytræ Severiensis OLESNICCIO*, Tibi Magne *CONSTANTINE* Nominis & splendoris, de AGNI Stemmate primam debet gloriam. Quodsi tam pretiosus AGNI Sangvis Postes Sacros Cathedralis Basilicæ signat! quas lues à publica non eliminabit incolumitate? quas non proscribet pestes? quibus interitum non incutiet plagis? sed jam visibilis eventus nostram prævenit expectationem & vota. Futurum deinceps est *CELSISSIME PRINCEPS*, quòd sub Tui signo *ARIETIS* reflorescet ampliùs integritas Patriæ & Ecclesiæ, succũ-

bet & ad deditionem inclinabit faſtum & pertinaciam minans cædes fatum, ipſa deniq; Cracovia, priſtinæ ſuæ ſuperſtes & læta perennabit incolumitati.

Subarrhat certò ſucceſſuros conceptæ ſpei eventus, indefeſſa ac ſibi, opibuſq; non parcens Tua ad decorem & incrementa Vrbis contribuens liberalitas *CELSISSIME PRINCEPS*, per quam fortunæ pariter ac animi indulgentiſſimos aperis theſauros. Biennium eſt, cum Romanus Tiberis in Poloniã, & præprimis in Metropolim hanc beato Gratiarum Magni Iubilei diluvio tantùm exundavit, ut Viſtulæ alveũ excedens ubertas, montes involverit. Correpti felici cataclyſmo undiq; populi (aquæ multæ) undatim confluebant. Nulla ætas, quæ hâc rigari illuvie certatim non feſtinaret; ut prope abfuerit, quin Cracoviæ vetus Nomen, recenti Confluentiæ vocabulo abſorberetur. Nihil autem aſpectu limpidiùs erat, Tuâ ò *PRINCEPS* inexhauſtâ Pietate, quæ ita in omnes ac ſingulos domi repertos, aut peregrè elicitos humaniſſimæ beneficentiæ exẽplis promanabat, ut nullus ſiſtendo illi incom-

para-

parabilis profusionis Hellesponto par inveniri posse videretur Xerxes. Certabat cum Apostolicæ largitate gazæ religiosa Tua munificentia, verè Principe & Præsule digna, Cælo & Orbi spectatissima, per quam effecisti; ut Cracoviam transmigrâsse, & ad statas Indulgentiarum Solennitates venisse Romana diceretur magnificentia. Ibant expeditis per exhomolegeses conscientijs vacui culparum, sed pleni Iustitiæ, Tuis erogationibus refertissimi Viatores votivi, læti, se, non tantùm admissis reatibus absolutos, verùm etiam abolitâ egestate liberos: ubiq; calamitatum suarum obliti, nullibi, ex Te adeptæ felicitatis, non memores. Proinde quotquot sacrâ defuncti peregrinatione ad lares redire spectabantur, singulos, legatione pro Te fungi experti sumus. Vndiq; Nomen Tuum, Munificentiâ Tuâ, visæ devotionis exempla personabant, & post recitatas, ad suggestus Pænitentiæ, proprias improbitates, quisq; urgeri se ex intimo sentiebat ad continuandam generalem compertæ Probitatis Tuæ confessionem. Quæ Tibi subeundæ gratitudinis vincula non debēt ferro & discrimini capitum exempti ære Tuo

fla-

flagitiosi? Institeras; memorando sæculis zelo, ut Annus Sanctus, non Templa tantùm, sed & facinorosorum ergastula consecrasset; ut sequestri seditiosorum carceres, celebratæ Indulgentiæ, & renascentis ad innocentiam improbitatis essent sacraria. Vidimus ergo, & videre erat horror, sed amænissimus; vidimus, sæviùs in se animadvertentes nefarias manus; ultionem, quam effugerant, acerbiùs sponte à se exegisse, quàm si rigor inexoratæ legis, meditatum in coactas cervices impegisset supplicium. Profligabat profligatissimos, suscepta ultrò pænitentia; sed ita benè peccàsse in se, ex Tua o! *PRINCEPS* visi sunt benevolentia, quotquot piaculari crudelitate, eam in demerita corpora exercuêre justitiam.

Ita ergo cæpit restaurari Cracovia, cum Pietatis Tuæ exemplis ædificaretur *CELSISSIME PRINCEPS*. Lapsos inopiâ, Capite & vitâ, etiam æternâ, minores, (dicam potiùs,) utroq; abjectissimos, manu Successore *STANISLAI* dignâ erexisti? Hoc planè est, per quod primò Caput Regni, & Regnum in suo assurgat Capite. Hanc porro

ro diu optatam Capitis Regni longiùs triennio humati anastasim, quàm maturè & constanter promoveat Celsissima indoles Tua, omnis per Te causatæ provectionis apex testis esto. Ascendit propè in globum sphæris sydereis conterminum, consiliô tuô suscepta & inita Arcis Regiæ Cracoviensis Restitutio, cujus olim spectatam pulchritudinem & Majestatem, sibi non à longè affinem, viderat intimiùs Cælum, & semper etiam Numinum incolatu dignam judicavit. Visi sunt non semel lustràsse Augustale hoc, sæculis admiratum, in Imperatoribus & Regibus Europæis præsentes Hospites, quasi Dij. Vt autem iterum ex cineribus Phænix hæc Arcium adprimævum decus & honorē renascatur, pretioso labore contendis, daturus specimen prodigij Magno *STANISLAO* patrati, cum hoc, aliquot iam lustris ex dissipatione corruptum suscitaveris Cadaver; ut aliquando vivam ac veridicam loqui audiatur libertatem.

Hæc ad decus Imperij agis *CELSISSIME PRINCEPS*; quæ verò ad splendorem Ecclesiæ & Diæcesis non agis? Iam *Cujaviam* & *Pomeraniam* altùm promi-

nentibus ſtructuris auguſtiorem reddidiſti, ſed hæc diu admiratis, prima nunc videntur Liberalitatis Tuæ proæmia, ac majoris magnificentiæ progymnaſmata. Conſtantini Imperatoris magnitudinem exhibent in ſe ingentia Divis erecta Sanctuaria. Vaſtiùs ac evidentiùs patet (nequicquam obſtante Nominis myſterio) in Laterana Romæ Baſilica Cæſaris immenſitas. Latèpatens, quoddam Religionis Imperium non Eccleſiam condidiſſe Cæſar ſuſpicitur. Sed remittit hic aliquantùm publica admiratio, quoties ad Opera Tua *CELSISSIME PRINCEPS* reſpicit, è quibus Tuam, ipſo duntaxat tempore inferiorem, cæterùm ex nominatiſſima ad Imperatoris Majeſtatem conformitate, captu majorem, metitur magnitudinem. Quid enim eſt illud *Geminum* jam *Supra Vavelum*, iam *Kielcyjs*, incomputabili, perindeq; inimitabili Gazæ tuæ prodigalitate erectum *COLLEGIVM*, aut verius, munitiſſima Sacræ Militiæ Caſtra? niſi immortalia Magnitudinis Tuæ monumenta, continua publicæ admirationis ſpectacula, unde omnium ætatum populis; donec Mundus ſuperſtes, Ingens ultra

omnem

omnem comparationem *PRINCEPS & PRÆSVL* videberis, & quoddam hyperbolicum rerum geſtarum Paradoxum, nec non altè defixum collimantis gloriæ centrum. Proſtabit in tui Honoris memorabile faſtigium etiam minor hæc, quam & attributis largitionibus, & Paſtorali benedictione conſecras, ac Cælo attollis Baſilica. Singuli de pariætibus clamabunt perpetim lapides, illam magnitudinem tuam, cujus auſpicio in aſpectabilem Orbi creverunt molem. Proinde cum univerſos proſperatæ ac properatæ ædificationis ſucceſſus Tibi *CELSISSIME PRINCEPS* debeamus; inter alios quæſitos à Divis titulos, etiam Magnum tuum in ædem hanc invocamus Nomen, ut citra omne Romani Sanctuarij præjudicium, nuncupetur *Baſilica Conſtantiniana*.

Propæ injurij Tibi ſumus ô *PRINCEPS*, ſi intra aliquot duntaxat operum Tuorum Auguſtalia, longè latiùs proſtantem coanguſtamus gloriam. Tota, quà patet Polonia, potentiſſimæ Dexteritatis Tuæ trophæum eſt immortale. Quid enim in ea non ſolo æquatum! quid non cum ipſis etiam cladium ve-

ſtigijs funditus abolitum? ſæculum hoc, quô vivimus in occaſum Patriæ pernicioſum male oriri cæperat; quaſi ætas poſt milleſimam ſeptingenteſimam, ipsä ſuâ falcatum Saturnum minante heptemimeri, noviſſimum conclamato Septemtrioni invehere debuiſſet climacterem. Creditus eſt Mars, initis noviter cum ſæculo annis, Solis imperium uſurpâſſe, & ingreſſus Aquilonaris ſignum Leonis, dies jugi calentes Sirio, ad communem gentium inſaniam accendiſſe. Quis tunc hominibus paſſim in bella commotis furor? Orbis totus in vertiginem, capitum humanorum delirio actus, ſuum illud originale chaos repetijſſe creditus: & prope per ſucceſſivas clades, ac repentinas direptiones populi decorumq; in primitivum relapſus nihilum evanuiſſe; ſed maximè Polonia, cujus etiam Nomen, nedũ veterrimâ gloriä, videbatur extremè & ſtirpitus antiquari, ita; ut interim hæc nobiliſſima pars mundi, populari antonomaſia, profligatiſſimũ ruinarum Regnum, appellari debuerit, aut nova deleti umbra & paraſceniũ Ilij. Non ampliùs quærẽda erat in tabulis Coſmicis deſerta Arabia; cùm tanta, bellis obtritæ vaſtitas Sarmatiæ,

matiæ, formidabilem ac portentoſam præferret ſpeciem excidij: quaſi una omnibus foret devota Diris. Illatus templis horror, Curijs ſolitudo, ædibus exterminium. Porrectæ ſuperbiſſimis tholis prominenteſq; nuper ad ſydera arces & Palatia, ſupinis jacebant per areas pateſcentes ruderibus, inhiante jugiter reliquijs populationum baratrho. In ipſam hanc Regni Vrbem, an Regnum Vrbium Graroviam? priſcus ille, quaſi ex nece publica, viſus eſt renaſci Draco, ut alias per partes voratam, ſimul tunc uno totam abliguriſſet trajectu. Hæc rerum facies, aut potiùs ſpectrũ, ubi erat Polonia! Iam vero hominum vix umbra. Defecerat qui ſpectatas ploraret clades, cum eas confertiſsimè fleri intererat. Diſsipabantur ædium nexus, ſed magis cordium rumpebatur compages, & quiſq; in pariete lapis, petra ſcandali (morem ſuo inhabitatori gerens) ſenſit ſe provocari, ut propinquo diſsideret lateri, indecorum ratus, cohærere, & non dirimi vicino, dum fraterni invicem deſciſcerent animi.

Sed quid memori calamo ſopitam fodimus calamitatem, quæ etiam levi recorda-

tione acriùs ſævit incitata? æquiùs eſt, ore & ſtylo amæniori, redintegratum Patriæ contẽplari ſtatum, quàm ad retroactas reporrigi & iterum quaſi ſponte reciprocari clades. Atq; hoc eſt extemporaneum Excelſæ Manûs Tuæ prodigium *CELSISSIME PRINCEPS* reſtituta ſibi Polonia. Magno Conſtantino profuit ad perennitatem gloriæ novam, veteri Byzantio, ſuperſtruxiſſe Romã: Tibi autem Major ſupra Maximos *CONSTANTINE*, amplioris eſt arrhabo & pignus immortalitatis, veterum barathro eripuiſſe Poloniam, & ita antiquis legibus, avitæ libertati, priſtino ordinis, morum ac concordiæ decori reſtituiſſe; ut prorſus novam feceris, ſuæq; vaſtitatis, ad venuſtatem, reformatione, non minus amabilem, quàm formidandam Gentibus reddideris Pulcheriam.

Inceſſit hinc animum admiratione anxium, juſta explorandi curioſitas, quæ ſæcula recomponendæ inſumpſeris Patriæ? Vt enim Troja ruat, decennio laboratur, ut verò è tumulo ſuo optata reviviſcat anaſtaſi, revolutæ per tot millia ætates fruſtra laborant. Albàm & Carthaginem brevis abſumpſit hora;

mul-

multum & longè extenſum non reficit ævum. Repentè concidunt, quæ nunquam redintegrantur. Profectò *CELSISSIME PRINCEPS*, ſi illud tam immenſum reſtitutæ Patriæ, ex æquo penſemus Opus, cogimur vaſtiſſimum quoddam continuato labori aſſignare ſæculum, tota temporis comprehenſione amplius. Itaq; non uno Te ſudaſſe imaginamur ſæculo; conceſſas cælitùs annorum extenſiones, ætatum Emboliſmos & Intercalares, quibus, non ſuffectura magno labori prorogarentur conſveti temporis compendia. Et ita quidem nos, vel juxta congruentiam, vel ſecundùm noſtram ſentiendi imbecillitatem opinamur. Sed nimias menſuræ opiniones noſtras redigit & confūdit properata, citra hominum & temporum captum, tanti operis conſummatio. Integris Septemdecem annis, à capite currentis ſæculi, perniciem Poloniæ aggreſſa confertim Fata, vires jam & ferociam exhauſerant, imò & objectum furori ſuo ita decerpſerant Regnum; ut quò ampliùs ſe rabies aleret, non ſuperfuerit, niſi in ſe ipſam verſa, parem quæreret crudeli ingluviei offam. Tibi verò Admiran-

de *STATOR* Patriæ, aliquot præſuffecêre dies, ut illud incomparabile publicæ integritatis ſiſtema componeres, nutantem firmares libertatem, Regni tam vaſti diſperſionem reunires, ſolutos per diffidentiam Status & Cives adunares, deniq; Vnus omnia & ſimul ageres! Cum itaq; unus pro omnibus indefeſsè ac planè divinitùs collatis viribus laborares, ea laboris non diſperſi concentratio publicam animorum inauguravit unitatem, quam perſæpè diviſa plurium ſtudia, dum putantur colligere, incurabiliùs diſſipant. Tuus ille die noctuq; decumanus, vix cedere ſperatam emolliens calamitatis duritiem; Tuus ille, aureo Iovis imbre gemmeâq; Plejade multò pretioſior ſudor, diuturnas populi deterſit lacrymas, cruentas ſerenavit tempeſtates, ac extremum fatigati Regni diſpunxit agonem, ut quantumcunq; nunc relevati ſpirent vividiùs populi, in Tuam nonniſi contribuere ac conſpirare, ex debito æternæ gratitudinis, cenſeantur immortalitatem.

Hac Tuæ Imortalitate Gloriæ, vivet *Illuſtriſſima JVNOSSIANA Domus*, conſveto ſibi & continuo perennitatis uſu, ab ipſis

ſoci-

ſocialibus Poloniæ cunabulis attributæ. Nam ad ortum Patriæ reſpicimus, quoties Hiſtoriam Domus Szaniavianæ redordiri connitimur. Illa ſimul cum Lecho Regni Conditore, auſpex fuit Poloniæ, in Campeſtribus Veteris Sarmatiæ, Caſtra & aciem victoriarum, ſub pellibus Iunoſſianis metata: permanentiæ ſuæ non interruptam ephemeridē, ipſis recenſuit triumphis. Equidē de comperta Avitæ Domus minimè diſputamus gloria; illud nihilominus in conflictu quæſtionum collocandum, Plus nè Domus hæc de Polo? an de Polonia meruerit? Sed adeò difficili ad concludendum Problemati, ambidextro annuendum omnino ſtylo, nempe utriq; pari merito militaſſe. Certè ille Magnus *JVNOSSA SZANIAVIVS*, dexterrima Leſconis Nigri Manus, qui Iazyges, intimè pernicioſos Septemtrionali Latio (Poloniam dico) Vejos, decretorio ad Lublinum ſtirpitus obtrivit prælio. Hic ita præclara fortitudine, animum Poloni præoccupaverat Principis Leſconis, ut favor humaniſſimo conceptus corde, cæleſtem etiam corripuerit Ducem *MICHAELEM*, quò ſub ſignis *SZANIA-*

VII invictas cælitùs auctoraret ſuppetias. Trophæum memorabilis victoriæ extat Lublinenſe Principis Angelorum Nomine & Tutela inſigne Delubrum, & quodammodo *Szaniavianæ* Fortitudinis ſanctius Capitolium. Tanta fundatæ ſanctitatis Decora Nomini *Szaniaviano* debet antiquitùs Lublinum! Quæ demùm prolixiùs non debeat tota Polonia? cum ingenerata ſanguini Pietas, maioribus propagandæ religionis non deſinit inardeſcere ſtudijs.

Pronum id eſt colligere ex Tua CELSISSIME PRINCEPS ad incrementa Pietatis elevatiſſima propenſione, quam præter alias præſtantiſſimas ad publicam ædificationem collocatas moles, luculentiùs ad præſens hæc, fundo Vrbis Regni, ſuperimpoſita, tuisq; ſanctificata Manibus perhibet Baſilica. Gloriæ quidem Numinis aſſignatum Auguſtale, ſed & Famæ Nominis Tui perenne Domicilium. Vt autem ſit etiam Domus Tuæ Inclytiſſimæ, ad normam Angelici Lublinenſis Sanctuarij, permanens & memoriale Periſtylium, nullo adhuc decoras paratu incruſtationes, exornent appenſa inter aras *Szaniaviani*

viani Nominis & Sangvinis Simulacra, ad quorum ſpectatos vultus, in ſuperos & Patriam Pietatem ſpirantes, noſtra devotiſſima tantis Nominibus, animetur gratitudo.

Proximum Auguſtæ Imagini Tuæ *CELSISSIME PRINCEPS* collocamus *Illuſtriſſimum FELICEM IOANNEM SZANIAWSKI Epiſcopum Chełmenſem*, cui hinc per Pontificalē Mytram ſerpunt Lauri Theologicæ, quibus à primo ætatis vere, ad noviſſimam uſq; ſenij hyemem, amæniſſimè vernat; Inde ſuccisæ, in Iuſtitiæ Palmeto adoreæ, quas meritiſſimo *Commiſſionis Radomienſis PRÆSIDATV* uſq;dum colligit, inclinante ſe ultrò in ſpolia tantæ Fronti, altiorum Dodona Honorum. *Illuſtriſſimi MARCIANI Secretarij Regni, Abbatis Wąchocenſis* Ideam, non Apelles, ſed pingit Apollo, idemq; Phæbus, qui ipſe non niſi radioſo penicillo, ſe pingere conformiter poteſt per parelia. Quid enim in hac facie non ſimile Soli? Animum autem nemo exprimere poteſt, cuius luciditſimas dotes, denſior modeſtiæ obnubit umbra. Vnum palàm eſt; publicæ utilitati eſſe præſentiſſimum. Vnica

 ca

ca tabella repræſentat, quos Fraternus non diſtingvit Sangvis *Illuſtriſſimos CAPITANEOS CHENCINENSEM ac SOCHACZOVIENSEM.* Sic etiam Cælum in aſſymbolis ſyderibus effigiat Caſtorem cum Polluce. Par utriq; animus ad maxima exactus, æqualis in Superos Pietas, identica in obſequium Patriæ æmulatio, omnia deniq; ad Tuæ *CELSISSIME PRINCEPS* Magnitudinis menſuram adæquata.

Permitte *CELSISSIME PRINCEPS* vivis coloribus etiam *Jlluſtres SZANIAVIORVM* Vmbras glorioſè vitâ functorum, præſentari. Iuſtenè umbras dixero, quorum memorabiles actus diem perpetuant Patriæ & Domui? Ipſo vitæ occaſu meliores auſpicati luces. Illos hìc exhibeo *SZANIAVIOS*, quorum Triariam aciem noviſſimis bellis, pro Patria, vitam conſtat poſuiſſe. Annotavit numerum, Domeſticæ Conditor, & ipſe grandis materia Hiſtoriæ *Jlluſtriſſimus ADAMVS SZANIAWSKI* Caſtellanus Lublinenſis. Triginta, bellis occubuere *SZANIAVII*, quod præſenti ſæculo majus eſt, quàm tre-

cen-

centos aliàs una die cecidisse Fabios. Ausculta Patria! Sangvis *Szaniavianus* uberrimè fusus clamat in Campo Martis: nusquam se ignavum undasse ad salutem publicam asserendam. Meruerunt heroicarum Exuviæ animarum magnificentissimos Tumulos; sed nemo augustiùs conditur, quàm sub cespite triumphali. Nos itaq; quos Nomini *Szaniaviano* arctior adstringit obligatio, novo Mausolæisq; vacuo, ac perinde facili Templo, dum triumphales Exuvias haud iam inferre licet, saltem per tuam *PRINCEPS CELSISSIME* indulgentiam, simultaneum perpetuæ recordationis erigimus Epitaphiũ, ipso Heroum Sangvine inscriptum:

Hoc lapide leguntur
qui toto conduntur Orbe, teguntur Cælo
SZANIAVIJ,
Sepulchro, gloria & mortis causâ
Magno Pompeio singuli non minores.
Non falci mortis, quod etiam ignavorum est,
sed Martis gladio, quod propriè Fortiũ,

caſum debent triumphalem.
Sub avito AGNI Stemmate nati
vitam Saluti Patriæ in victimam immolarunt.
Quæris, quo anno contigit occubuiſſe?
Omnem œtatem, felicis fati honore, impleverunt,
qui ſemper diem Martis vixerunt.
Et nunc
cum nullum diem vivant,
omni ſuperſtites ævo, ipſa vigent æternitate:
Bellis quæſitam gloriam
in Pace adepti perpetua.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

Iuxta Mentem Divi THOMÆ Aquinatis

Angelici & Ecclesiæ Doctoris

DE DOCTRINA SACRA

I. Scientia supernaturalis probativa necessaria est, circa veritates supernaturales. II. Obiectum illius formale *quod* est Deus sub ratione Deitatis; formale *quo*, est revelatio Divina virtualis. III. Sacra doctrina habet sufficientem evidentiam ad rationem propriè dictæ scientiæ. IV. Subalternatur scientiæ DEI & Beatorum. V. Est speculativa simul & practica. VI. Vna specie scientia quò ad omnes suas partes.

DE DEO & ATTRIBVTIS.

I. Deum esse *quo ad se*, est per se notum; *quo ad nos* est demonstrabile à posteriori. II. Dari Primum Motorem omnino immotum, & Primam Causam independentem ab alia, est argumentum efficax pro existentia DEI. III. Natura DEI in gradu intelligendi reponitur. IV. Intellectivum radicale est ipsius constitutivum. V. Nulla distinctio actualis ante intellectum datur inter Attributa Divina, tàm inter se, quàm ab Essentia, sed sola distinctio rationis cum fundamento in re hic admittitur. VI. Ratio præsentiæ & existentiæ DEI in rebus ac locis, est operatio virtualiter transiens. VII. DEVS in spatiis imaginariis est solum negativé, non actu & positivé. VIII. Æternitas est mensura Divini Esse.

DE

DE VISIONE BEATIFICA.

I. Deum videri naturaliter à ſubſtantia naturali implicat. II. Neq; ſupernaturalis ſubſtantia, cui Viſio DEI ſit connaturalis poteſt creari. III. Elevabilis eſt nihilominus creatura intellectualis ad videndum DEVM prout eſt in ſe. IV. Nec oculus corporeus, nec ullus ſenſus poteſt DEVM ut eſt in ſe, percipere. V. Implicat ſpecies creata tam impreſſa, quam expreſſa in Viſione Beata. VI. Nec lumen gloriæ poteſt vices ſpeciei ſupplere, ſed ſola Eſſentia Divina. VII. Ratio proxima adæquata videndi DEVM eſt lumen gloriæ. VIII. Sine hoc nullo modo poteſt videri DEVS. IX. Inæqualitas luminis beatifici inæquales efficit Viſiones. X. Nullus intellectus creatus poteſt DEVM comprehenſivè videre. XI. Eſſentia Divina non poteſt videri ſine Attributis & Perſonis, aut unum Attributum ſine alio, vel una Perſona ſine aliis. XII. Beati vident creaturas in DEO, tanquam in cauſa.

DE SCIENTIA DEI.

I. Datur in DEO ſcientia. II. Eſt propriè Attributum Naturæ Divinæ. III. Obiectum Divinæ ſcientiæ *ſpecificativum* eſt Eſſentia, *terminativum* quodvis Ens Divinum. IV. DEVS cognoſcit creaturas in ſe ipſo, tanquam in cauſa effectus. V. Scientia DEI eſt cauſa rerum effectiva. VI. Vt aliquid ſit futurum, requiritur Decretum DEI efficax. VII. Hoc tamen non eſt formale conſtitutivum futuri. VIII. DEVS futura contingentia abſoluta in ſolo Decreto ſuæ voluntatis, & non aliter cognoſcit. IX. Futura contingentia ſunt ab æterno realiter ac phyſicè præſentia Divinæ Scientiæ. X. Futura conditionata DEVS certò cognoſcit in Decreto abſoluto ex parte ſubiecti, ex parte verò obiecti conditionato. XI. Non autem per ſcientiam Mediam. XII. Hæc enim in DEO implicat.

DE

DE VLTIMO FINE & BEATITVDINE HOMINIS.

I. Proprium est solius creaturæ rationalis agere propter Finem. II. Impossibile est voluntatem intendere simul plures fines totales adæquatos. III. Quidquid homo deliberatè vult, illud appetit ptopter ultimum Finem. IV. Beatitudo Christiana in tribulatioue & cruce percipitur. V. Bona quævis creata occupare possunt cor humanum; satiare, vel beare non possunt. VI. Animam rationalem solus DEVS Vnus & Trinus implere & beare potest. VII. Beatitudo supernaturalis Viæ consistit in amore DEI. VIII. Plena & formalis Beatitudo hominis in Patria, est videre faciem DEI sui. IX. Perpetuitas, & impeccabilitas, ac felix necessitas amandi DEI, Beatitudinem formalem essentialiter comitantur.

Ad M. N. D. S. B. M. V. H. SS. OO. Venerationem.

Disputabuntur publicè in Collegio Cracoviensi R.R. P.P. Scholarum Piarum, defendente P. CYPRIANO à S. Marcò S. Theologiæ Auditore. Die 31. Mensis Maij. Annò Domini 1728.

Panegyrici